

EPISTOLA.

doctrinæque præstantium delectu procuras quantum potes. Auctorum Ecclesiasticorum Opera expendo, è quibus plurimos Ecclesiæ Gallia tua dedit ad defensionem & illustrationem veritatis: MAJESTAS verò TUA Litteratos omnium ordinum viros, qui studia lucubrationesque suas in Ecclesiæ conferunt utilitatem, æstimatione sua, iustione ac favore dignandos ducit, ut jure optimo Litterarum parens (qui magnis etiam Regibus gloriosus titulus est) appellari merearis. Imperatorum tandem ac Regum præclara facinora, virtutesque bellicæ, politicae, Christiana hoc in Opere celebrantur, quarum in Te connexionem summam atque consensionem orbis admiratur uniuersus.

Imperatores quosdam ac Reges rerum bellicarum gloriâ magnos; quosdam pace ac iustitiâ summos; alios Religione præstantes Historia commendat: TU BELLO MAGNUS, PACE MAJOR, RELIGIONE MAXIMUS. Gloriam quippe tuam bellum annunciat, pax vindicat, Religio coronat. Bellum gessisti multiplex, fortitudine, sapientiâ, celeritate, prosperitate incredibili: Hispanicum, Belgicum, Hollandicum, Germanicum, Italicum, Turcicum, Barbaricum. Sed illud ut difficilium atque diuturnius, sic tuæ gloriosus Majestati, REX INVICTISSIME, quod ab ipsâ postremo confectum est. Tanti belli molem Tu sustinuisti unus contra potentissimos Europe Principes in Majestatem tuam fæderatos: quo incomparabilis sapientiæ & magnanimitas tua, ad omnium genium admirationem; Ducum à Te delectorum in mandatis tuis exequendis prompta fidelitas, prudentia, vigilantia, intrepidi Militum animi, ad terrorem hostium; Regni tui vires in præliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumentis & apparatu, ad stuporem & inuidiam æmulatorum; Dei Optimi Maximi de sacro tuo capite, rebus ac Regno singularis cura, ad Ecclesiæ gratulationem ac benedictionem eluxerunt; quæ Religionis causâ tantam in Te tempestatem noverat primùm excitatam. Munitissimas urbes debellatas, arces hominum opinione inexpugnabiles à Te expugnatas, victorias terrâ marique reportatas; erecta ad Rhenum, ad Mosam, ad Mosellam, ad Scaldim, ad Padum, ad Mare Oceanum, Mediterraneum, Ægeum trophæa vix justus Panegyricus, nedum brevis Epistola complecteretur. Longos Annales implebit rerum à Te bello præclare & mirabiliter gestarum commemoratio, quarum stupenda magnitudo si fidem apud posteros vix inueniat, ipsis in antecessum ignoscendum est.

Quamvis autem bello sis Magnus, REX POTENTISSIME, pace tamen longè Major es. Bellum sic à Te semper susceptum, ut nihil aliud nisi pax quaesita videretur. Pacis condiciones aquissimas ante obtulisti hostibus, quam bellum indiceres; victis etiam Triumphator obtulisti; lætorem te futurum significans se pacem sapientiâ, & iustitiâ firmares, quam si bellum per acies conficeres. Augustissimo Nomini tuo maximè quidem gloriosum quod postremo confecisti bellum: verumtamen pax Gallie non solum tuæ, sed Europæ data gloriosior. Fæderatorum Principum numero plerumque superiores exercitus toties vicisse, re vera quidem magnum: sed se ipsum vicisse, longè majus. Bello demonstraisti neminem esse tanta potentiæ, fortitudinis, prudentiæ, virium denique tantarum, quem vincere non posses: pace comprobasti à nemine Te vinci posse nisi à Teipso. Glorie militaris cupiditatem, quæ novissima Heroibus exiit, Dei gloriæ, populi tui felicitati, Europæ tranquillitati immolasti. Verùm pace in medio victoriarum tuarum cursu, nulla rerum tuarum necessitate, sed unâ Christiana Reipublicæ utilitate factâ, nomen tuum gloriæ commendaisti sempiterna. Magnam olim nuperque gloriam comparasti Regni finibus propagatis: sed majorem ac solidiorem consecutus es iisdem divini prope moderatione circumscriptis. Qui victorias olim tuas, cum Viennam Imperii caput Ottomanus premeret exercitus, retardare ma-